Pro Regio Fisco
In causa Oeconomatus. D Raudensis



OFficium Oeconomatus in hoc Statu Mediolani antiquissimum est & optimo iure nixũ, & valde necessarium ad publici regiminis rationem, atque ad Status conseruationẽ; quare sicut per retroacta tempora à maioribus nostris omnis semper nauata fuit opera, in executionem etiam litterarũ Regiarum, vt contra nonnullorum Episcoporum conatus ad illius euersionem tendentes innocuum conseruaretur, ità maximè hoc tempore inuigilandum & contendendum est, vt sartum tectum aduersus aliquorum modernorum Ecclesiasticorum conspirationes, deffendatur, neue Regiæ iurisdictionis firmitudo in hoc labefactetur & detrimentum capiat: Consistit autem potissimùm in tribus.

Primò quòd mortuo aliquo beneficiario, quisquis ille sit, statim Oeconomus apprehendat possessionem bonorum beneficialium, illaque administret, & fructus colligat, seruetq; pro successore.

Secundò quòd sine eius Placito nemo prouisus à Pontifice, vel ab Ordinario nanciscatur possessionem beneficij obtenti; sed is sit, qui & Placitum præstet & in possessionem inducat, vel illud & possessionis relaxationem deneget, prout cognouerit, prouisum esse vel non esse Suæ M. confidentem, vel alia iuridica ratione videat, id non expedire, adhibita etiã quali quali cognitione circa validitatem tituli; Quoad tamen Episcopatus & alias cathedrales dignitates expectatur consensus Regius.

Tertiò quòd nullæ litteræ citatoriæ, inhibitoriæ, compulsoriæ, vel alia quæq; mandata obtenta in Vrbe executioni mittantur, absque eius Placito, præstando vel denegando, prout cognouerit iuris esse, vel non expedire. Attento præsertim tenore indulti Leonis X. quod vocatur Leoninum,

quo cauetur, ne quis ex hac prouincia trahatur extra forum ſuum in prima inſtantia.

Reperui etiam inter ſcripturas antiquas facientes ad hoc officium, conſueuiſſe antiquioribus temporibus Oeconomos Ducales exigere decimas Papales, ac verò præcipuè, quando Duces de illis participabant.

Ratio autem introducendi hoc officium fuit, tum ne mortuo beneficiario vſurpationes & violentiæ in præiudicium Eccleſiarum, quarum Principes ſunt protectores, conſequantur, vnde etiam alia facinora promanant; Tum ne quiſquã indebitè intruderetur ad aliquod beneficium, quod caput præcipuè tangit Epiſcopos, qui vel hac potiſſimùm de cauſa exoſos ſæpius habuerunt Oeconomos, tanquam cenſores, & quibus ſublatis facilior ſibi redderetur vſurpatio iuris Pontificij, tam pro menſibus ad illũ ſpectantibus, quàm aliter; Tum ne ad beneficia quiſquam, niſi confidens S. M. admittatur; Et ad obuiandum ſcandalis, quæ in apprehenſione poſſeſſionis beneficiorum per prouiſos faciendæ de facili aliàs ſequerentur; Et tum denique, vt priuilegia Status ad ſubditorum vtilitatem, ac verò potiſſimùm d. Leonis indultum obſeruentur; Quæ omnia ſpectant ad laudem & honorem Dei, ad Status conſeruationem, ad iuſtitiæ cultum, & ad rerum priuatarum & publicarum tranquilitatẽ.

Neque pro tot laboribus ſalarium aliquod habet Oeconomus, niſi quòd pro Placito recipit aureum vnum, & ſi beneficium habet dignitatem annexam, duos; quanquam multos ex vrbanitate ſoleat immunes facere, vt Illuſtriſs. Cardinales, Reuerendiſs. Epiſcopos, amicos, & ſæpius alios, vel ratione paupertatis, vel alia de cauſa, adeò quòd non niſi modici emolumenti tale officium his temporibus eſſe ſoleat.

Antequam verò ad demonſtrandam ipſius iuſtitiam circa dicta tria capita deſcendamus, operæ pretium eſt, breuibus eiuſdem antiquitatem, & ſeriem facti, ex quo iuſtificatio veritatis colligi poſſit, præmittere.

Qua in re maximè obſeruari debet Decretum Io. Galeatij Comitis Virtutum primi Mediolani Ducis anno 1386. 3. Auguſti publicatum die 8. ſequenti, quo cauebatur, ne quiſquam

quam

quam auderet absq; conscientia, vel licentia ipsius Domini impetrare dignitatem, vel beneficium aliquod, & quod aliter ad possessionem ipsius non admitteretur, imò in carcerẽ detruderetur, nec relaxaretur absque Domini speciali ordine: Id enim nihil aliud est, quàm Placet præstitum ante, quod nunc præstatur post obtentum beneficium; & de cuius decreti validitate infra videbimus; Cui accedit aliud Decretum eiusdem Ducis diei 26. Septembris sequentis, & publicatum die 28. huius tenoris. *Cùm sæpè contingat, præsertim importunitate petentium, quòd diuersorum munerum priuilegia tàm Papalia, quàm Imperialia concedantur, in præiudicium, & graue damnum subditorum nostrorum, & perquam iniustè, non sine magnis eorum incommodis, & sumptuosis laboribus, & litigiosis iudiciorum anfractibus implorantur, proinde volentes super hoc de salubri remedio prouidere, maximè ne aliquando subditi nostri virtute talium priuilegiorum indebitè, & iniustè suis remaneant bonis, & iuribus spoliati, seu per litigia opprimantur, & vexentur, &c. tenore præsentium &c. sancimus &c. quòd nulla persona habitans sub nostro Dominio cuiusuis status, gradus, conditionis, & dignitatis existat, siue secularis, siuè Ecclesiastica, audeat, vel præsumat per se, vel per alium per rectum, vel per indirectum ire, vel mittere ad impetrandum in quauis ex curijs Domini Papæ, seu Imperatoris &c. sine speciali licentia, vel mandato nostro, sub pœna arbitraria ipsi Domino, vltra nullitatem actus.* Et subsecutum fuit aliud eiusdem Ducis anni 1388. 20. Iulij, publicatum die 10. Augusti sequentis, in quo sic præfatur. *dispensare volentes super inhibitione de non eundo ad Curiam Romanam impetratum &c. volumus proclamari, quòd quilibet ad dictam Curiam ire, & mittere valeat ad impetrandum, & impetrata obtinere possendum* (dignitatibus dumtaxat exceptis) *quælibet alia simplicia beneficia &c. dummodo non excedant Floren. 50. annuos.* Idem legitur in Concordato, seu capitulis initis inter Ciuitatem Mediolani, & Franciscum Primum, Sfortiam Quartum Mediolani Ducem, anno 14..... cap. 14. his verbis. *Item che sia lecito à caduna persona, impetrar priuilegij, & beneficij del Sommo Pontefice, & da ciascuno altro Prelato, & dal*

Imperatore, & da qualonque altro, à chi spetta, senza licenza dimandare, ne pagare alcuna cosa al pref. Sig. Duca, ne alli suoi successori predetti. cui petitioni Dux respondit in hunc modum. *Respondet, pro impetratione beneficiorum, & dignitatum summam excedentium ducatonorum 60. ex redditibus annuatim, à nobis volumus habere licentiam more solito, &c. pro aliorum verò impetratione licentiam peti non curamus. ab Imperatore autem &c.* Hæcq; sunt decreta illa relata, & reprobata à Bossio in praxi tit. de Princ. num. 218. de quo tamen infra videbimus; quæ decreta habeo manuscripta in volumine antiquorum decretorum Ducum Mediolani fol. 10. 11. & 145.

Et hæc decreta fuerunt semper tempore Ducum ità inconcusse seruata, vt nemo vnquã, nisi nominati à Duce eligerẽtur.

Atque per ea antiqua tempora munus hoc Oeconomatus administrabatur per Officiales Ducales, licet laicos, quibus ipse Dux ita demandabat; qui pro administratione bonorum Ecclesiasticorum vacantium decimam pro se retinebant.

Deinde verò erectum fuit formale hoc officium sub nomine Oeconomatus, licet ob temporis antiquitatem incertum sit, quo primùm tempore originem habuerit.

Consueuerunt autem Duces Mediolani officium Oeconomatus cui vellent, concedere, absq; aliqua Summi Pontificis participatione, nec vnquam apparet, Sedem Apostolicam fuisse de hoc conquestam, sicq; seruatum est vsque ad annũ 1539. vt, omissis antiquioribus, contigit de Francisco Castano electo à Francisco II. Sfortia anno 1525. Et de Paulo Turrio electo ab Antonio Leua anno 1528. in qua electione notanda sunt ea verba, dum dicit, officium hoc in Statu Mediolani latè patere, & spectare nedum ad dignitatem, sed etiam ad vtilitatem Cæsarei Fisci. Et de N. Caluino, qui eodem anno fuit electus à Francisco Oeconomus in Diœcesi Derthonensi, eo expresso, vt teneretur reddere rationem administrationis bonorum Ecclesiasticorum Ministris ab ipso Duce deputandis.

Eo autem anno 1529. voluit Franciscus Dux, propter maximã

suam

suam in Sedem Apostolicam reuerentiam (is enim fuerat opera Pontificis ad Statum Mediol. restitutus) vt huiusce-modi generali suo Oeconomo, etiam Summi Pontificis adderetur auctoritas, Ita tamen vt interim, donec Pontificia confirmatio accederet, administraret, ac si iam illa accessisset.

Atq; ita deinde seruatum fuit, primum nempe cum Iacobo Picenardo Ducis Secretario, electo in Oeconomum, tum à Clemente VII. tum etiam ab ipso Duce, anno siquidem 1529. primo Aprilis; in qua quidem Ducali deputatione maximè ponderanda sunt verba hæc, *& præsertim cum ad hanc ei Prouinciam demandandam Summi Pontificis Clementis VII. litteris persuasi fuerimus*, & infra *quæcunq; beneficia Ecclesiastica sæcularia, & regularia, tam cum cura, quàm sine cura &c.* & infra *possessionem quoq; quorumcunq; beneficiorum in præfato Dominio, & Statu nostro in dies vacantium apprehendendi, & apprehendi faciendi, fructusq; & ficta vt sup. exigendi, & conseruandi ad eorum vtilitatem, quorum intersit, & quibus nos Placitum nostrum concesserimus, nec non necessitatibus Ecclesiarum, tam circa Diuinum Cultum, quàm victum Ministrorum prouidendi, citationes, & præcepta quæcunq; quibus expedierit, & sibi videbitur, pro præmissorum occasione, & executione transmittendi, & quascunq; pænas, & mulctas eis irrogandi, contrafacientes ordines, & decreta Ducalia, circa negotia Ecclesiastica* (& hæc sunt illa Io. Galeatij superius recitata) *iuxta eorum dispositionem puniendi, & pænas, et mulctas Cam. nostræ applicandi; cum facultate substituendi &c.*

Anno deinde 1531. 15. Decembris electus fuit Melchion Lãgus à Clemente VII. videlicet *ad capiendum Cameræ Apostolicæ nomine possessionem quarumcunque Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac beneficiorum, cum illa per tempora vacare contigerit, & eorum quorum possessionem cæperit, conseruandum*, pro eligendis &c. & intrusos expellendum &c. Ad cuius deputationis normam cæteræ pariter sunt conceptæ. Die autem 22. eiusdem mensis. Idem obtinuit electionem à Duce Francisco II. ob eius benemerita, in qua electione inter cætera leguntur hæc verba. *Propterea tenore præsentium,*

motu proprio, ex certa scientia, cassantes, & annullantes omnes, & singulos speciales, & generales Oeconomos quomodolibet hactenus constitutos omni meliori modo &c. In reliquis autem deputatio, seu electio est concepta ijsdem verbis vt illa Picenardi proximè supra recitata.
Lango successit Franciscus Guttierez familiaris Excell. Marchionis Vasti tunc Gubernatoris huius Status.
Anno autem 1547. 10. Iun. M. Antonius Patanella electus fuit à Maiestate Cæsarea; anno autem 1549. 5. Febr. fuit etiam electus à Paulo III. & quanquam is non potuisset illam per biennium obtinere ob calumnias Pontifici insinuatas, interim tamen liberè administrauit, & tandem Summus ille Pontifex post rem diù, ac diligentissimè tractatam medio Excellentissimi Don Didaci Mendotiæ tunc Oratoris Cæsarei apud Suam Sanctitatem, & Illustrissimi Cardinalis Peronetti Granuelani circa merita, & iustitiam dicti officij, postquam intellexit iura Suæ Reg. Maiest. tandem acquieuit, & ipsi Patanellæ consuetam confirmationem concessit.
Anno autem 1565. conquestus fuit Sanctus Carolus tunc Archiepiscopus Mediolani apud S. M. quòd Oeconomus deputaret Parochos pro tempore, quo Ecclesiæ vacabant, contra formam Sacri Concilij, atq; nomine Ecclesiasticorum data fuit Illustrissimo tunc Præsidi Senatus Gabrieli Casato notula prætensorum excessuū ipsius Oeconomi, vt sequitur.

Grauamina, quæ anno 1565. fuerunt exhibita contra Reuer. D. Oeconomum.

OEconomus transgreditur suas facultates à Sede Apostolica concessas, eas præsertim, quas habet vigore breuis Pauli III. quo cauetur, vt apponat manus ad beneficia tantùm Sedi Apostolicæ reseruata.
Suscipit iudicium super collationibus beneficiorum.
Vendit beneficiorum fructus, qui seruando seruari possunt, in præiudicium successorum in beneficijs.
Impedit Episcopos, quò minus in Ecclesijs Parochialibus

vacan-

vacantibus deputent Vicarium iux. Conc. Trident. sess. 24. capit. 18.

Grauat prouisos de beneficijs grauibus expensis, & exactionibus, exigit pro dignitatibus aureos duos, pro alijs etiam quantumcumque minimis, vnum, Cancellarius, seu Notarius exigit pro dignitatibus quinquaginta solidos, & pro alijs vigintiquinque. Subœconomi etiam, seu sub collectores, extra Mediolanum, sibi quandam pecuniæ quantitatẽ, pro eorum portionibus exigunt.

Exigit etiam pecunias pro concessione possessionis beneficiorum, quæ sunt de iure patronatus Serenissimi Regis. Ita enim dupplici onere grauantur, si qui præsentantur à Rege, & expensis expeditionis beneplaciti Regij, & expensis pro adipiscenda possessione.

Statuendum esset.

QVod non se intromittat nisi in beneficijs Sedi Apostolicæ reseruatis, iuxta d. breue Pauli III. dummodo non sint Parochialia.

Pro beneficijs quæ non excedunt summam centum ducatonorum iuxta verum valorem, nihil exigat, nec ipse, nec eius Subœconomi, vel Notarij. Pro his vero quæ dictum valorem excedunt, supradicti omnes pro laboribus, & expensis, non exigant plus medio aureo. In beneficijs vero iurispatronatus Regij, nihil omninò exigat.

Subœconomi, singulis saltem annis reddant rationem Episcopo, vel eius Vicario, ac vni deputato à Capitulo de eorum officio, ac omnibus fructibus beneficiorum per eos perceptis.

Quibus grauaminibus Patanellæ datis à dicto Illustrissimo Præside, vt ijs responderet, ipse tàm ad se exgrauandum, quàm etiam pro iuris Regij deffensione, preces porrexit Suæ Cæsareæ Maiestati, in quibus post præmissa aliqua generalia, circa antiquitatem, & iustitiam huius officij, tandẽ d. seriatim, & latius respondit, breuiter tamen responsio in id tendit, videlicet.

Ad primum dixit, se non excedere solitum suorum antecessorum, qui munus ipsum Oeconomatus semper exercuerant quoad omnia beneficia tàm reseruata Pontificibus, quàm quæ ab Ordinarijs conferuntur, idq; esse notorium, & constare ex libris, & actis ipsius Oeconomatus. Talem etiam colligi mentem Pauli III. in d. eius deputatione, tum ex ratione proemiali, quæ generalis est; nempe ad obuiandum vsurpationibus, & alijs scandalis, quæ aliàs vacantibus Ecclesijs, & in earum apprehensione orirentur; tum etiam quia electio Ducalis, ad cuius confirmationem dirigebatur illa Papalis, generalis esset; tum etiam quia illa verba deputationis Pontificiæ, *cum ijsdem honoribus, & oneribus, ac iurisdictionibus facultatibus per alios eius antecessores haberi solitis &c.* omnem tollerent amaritudinem, & proinde illa alia verba, quæ per Ecclesiasticos captabantur, ibi videlicet. *Vt possessionem cum fructibus consignetis ijs, quibus per nos de Ecclesijs, & beneficijs prouisum fuerit, & qui litteras prouisionis per nos factæ sibi præsentauerint*, non esse trahenda ad restrictionem officij, ita vt præter beneficia prouisa à Pontifice nihil aliud possit, sed esse capienda in vim specialis expressionis factæ de eo casu, tanquam digno particulari expressione, & maiori diligentia, ob absentiam, & reuerentiam Pontificis; & amplius ea verba fuisse prolata ad eum finem, vt aduerteret, ne beneficiorum Summo Pontifici reseruatorum possessionem alijs relaxaret, quàm prouisis ab ipso.

Ad secundum respondit, id sibi licere vigore suæ deputationis, & antiquissimæ quasi possessionis, & obseruantiæ maiorum suorum; id tamen agere summariè, & sine strepitu iudicij.

Ad tertium respondit, esse commentum, præterquam in vno tantùm beneficio aureorum 15. in Diœcesi Dertonensi, de quo rationem dedisset Subœconomus ibi constitutus, qui huic querimoniæ causam dederat.

Ad quartum respondit, id sibi licere vigore dictarum deputationum, neq; obstare Sacrum Concilium Tridentinũ, quia procedat, vbi non adest Oeconomus, atq; huic capiti causam

ſam dediſſe turbas hac de re ſecutas cum Reuerendiſſimo Epiſcopo Derthonenſi, qui tandem poſt miſſas hinc inde literas à Senatu ad ipſum acquieuerat, eo firmato temperamento, vt Subœconomus ille eligeret nominandum ab ipſo Epiſcopo, qui curam Eccleſiæ vacantis, interim, dum de ſucceſſore prouideretur, haberet.

Ad quintum reſpondit, meram eſſe calumniam, quia nihil ipſe exigerat, niſi exiguam illam mercedulam ſolitam dari, quando Regium Placet conceditur; multos tamen ex gratia immunes pertranſire, vt Illuſtriſſimos Cardinales, Reuerendiſſimos Epiſcopos, amicos, & pauperes.

Ad ſextum deniq; reſpondit, vt ſupra, imò ſe gratis dediſſe Placet omnib⁹ prouiſis ad beneficia iuriſpatronatus Regij.

Quod verò attinet ad d. quatuor moderamina propoſita, ſic reſpondit.

Ad primum dixit, nullo modo admittendum eſſe, quia eſſet contra ius, & antiquiſſimam conſuetudinem, & contra formam ſuarum conceſſionum, & in præiudicium boni publici, ac Regiæ iuriſdictionis, vt patet ex reſponſo dato ad primum grauamen.

Ad ſecundum, & tertium pariter reſpondit, petitionem eſſe iniuſtam, contra antiquiſſimam conſuetudinem, & præcipuè, quia major pars beneficiorum ſit minoris ſummæ aureorum 100. & illa maiora beneficia vt plurimum Illuſtriſſimis Cardinalibus conferantur, qui gratis pertranſeunt, & nullum aliud ſalarium dari Oeconomis, adeò quòd ſublata ea modica mercedula nullus eſſet, qui hunc laborem ſine mercede ſubire vellet, quod eſſet, officium ipſum anihilare.

Ad quartum denique reſpondit, id nedum eſſe meram nouitatem contra ſolitum, & ius ipſum ac naturam officij quæ eſt, vt Subœconomus reddat rationem ipſimet Oeconomo, à quo deputatur, ſed etiam ea potiſſimùm ratione, quòd Oeconomatus officium ſit ad eum quoq; potiſſimum finem inſtitutum, vt manuteneatur, ac deffendatur iuriſdictio Pōtificia, ne ad beneficia reſeruata Pontifici admittantur, qui per electionem Ordinariorum aliàs ſæpius intruderentur.

Atque eodem ferè modo responsum fuit ab Excell. Senatu Mediolani Excellentiss. tunc Gubernatori Gabrieli Cuevæ, qui monuerat ipsum Senatum de querimonia Illustriss. Cardinalis apud Suam Maiestatem.

Anno postea 1568. 28. Nouembris iam defuncto Pattanella electus fuit a S. M. Io. Duartes: qui per triennium administrauit antequam a Summo Pontifice impetrare potuisset Pontificiam deputationem, propter multas difficultates in aliorum Episcoporum huius Status apud Suam Sanctitatem vt illam non concederet iniectas; licet tandem Sua Sanctitas intellectis iuribus S. M. acquieuerit, & illum eundem Duartem confirmauerit, seu elegerit.

Hic Duartes cùm publicari fecisset consueta proclamata pro obseruatione eorum, quæ muneri suo spectabant, & mox contra quosdam transgressores ad pœnas procedere intenderet, ac præcipuè contra quendam de Cantonis, impetrauit ille de Cantonis medio amicorum apud Gregorium XIII. vt mandarit, nomine suo dari literas per Illustriss. tunc Cardinalem Gualtaruillanum ad Oeconomum, vt in sui gratiam contentaretur pœnam, seu mulctam dicto Cantono condonare.

Deinde pariter defuncto Duarto deputatus fuit ab Excellentissimo tunc Gubernatore Reuer. Io. Ambrosius Ferrarius, qui per interim exercuit munus hoc Oeconomatus, absq; aliqua Pontificis approbatione: donec successor eligeretur.

Anno postea 1582. electus fuit à S. M. Episcopus Aquensis Costachiara, qui erat Senator Mediolani; qui anno 1585. 1. Octobris, vt occurreret aliquorum motibus, publicari fecit edictũ quo districtim præcipiebatur sub certis pœnis, ne quisquam auderet apprehendere possessionem alicuius beneficij nisi prius habito regio Placito &c.

Anno 1591. electus fuit Reuerendiss. Abbas Sfortia Specianus, cui accessit pariter deputatio Pontificia.

Anno 1595. mortuo Illustriss. Archiepiscopo Vicecomite, & apprehensa Archiepiscopatus possessione per dictum Abbatem Specianum Oeconomum, resistente Reuerendissimo Seneca Vicario Generali, orta fuit ea de causa inter ipsos con-

controuersia, procedente Vicario per censuras, præcipuè sub eo quæsito colore, quod in actu apprehensionis illata fuisset vis Ecclesiasticis, & contra ipsos explosus sclopus; factumq; est, vt ad obuiandum maioribus malis, & ad deffendendum iura S. M. & informandam Suam Sanctitatem de veritate aduersus commenta dicti D. Vicarij Senecæ, nempe dictam apprehensionem cum omni vrbanitate, & semota omni violentia factam fuisse, & iuxtà solitum antiquissimum ex iure S.M. eiusq; antecessoribus competente, missus fuerit ad vrbem Ægr. tunc Aduocatus Fiscalis D. Federicus Quintius, qui in mandatis habuit, vt cum omni quidem reuerentia & ciuilitate ageret cum Sua Sanctitate, alijsq; Ministris eius Curiæ, ità tamen, vt, ipsis non acquiescentibus, verbis efficacibus, & enixis significaret, Suam Maiestatem nullo modo de iure suo clarissimo, atque indubitato decessuram, omniq; meliori via deffensuram quod à Ducibus Mediolani quietè possessum acceperat, mediante persona Cæsaris patris sui, quibus Ducibus Sua M. non debebat esse peioris conditionis, præcipuè ità exigente temporum qualitate, atque ipsius Catholici Regis erga Sanctam Sedem meritis, &, si quæ scandala secuta inde fuissent, ipsis Ecclesiasticis imputandum iri, qui noua molientes & in messem alienam pedem inferentes, vt confinia sua latius protederent, turbationib. causam darent.

Fuit etiam tunc ex latere Ecclesiasticorum excitata prætensio, quòd d. bulla Clementis VII. non sit intelligenda de Cathedralibus Ecclesijs, quia de ijs non sit facta expressa mentio; & stante eius obscuritate non posse fieri vim super obseruantia.

Tandem verò Oeconomus Specianus, qui hac de causa fuit Romæ, missione impetrata, Mediolanum reuersus est, re ità composita, vt interim, donec aliud decideretur, nihil innouaretur.

D. Spetiano successit Reuerendiss. Turrius Præpositus Scalensis anni 16.... cui accessit confirmatio Pontificis, & nūc ob eius mortem secutam anno præterito 1622. vacat officium, quod per interim exercetur à M. Ill. & M. Reu. Do-

mino Don Vincentio Ferrerio.

Anno autem 1615. Concordia facta inter vtrumque forum, quod spectat ad hoc officium, ita conuentum fuit cap. 14. *Circa officium Oeconomatus tollantur abusus Oeconomi, prout de eis constiterit.*

Cùmq. aliqui ex Ecclesiasticis, nacta maximè occasione huius vacantiæ, conspirasse dicantur ad euersionem huius officij, omninò cogimur demonstrare illud vti antiquissimum est, & ad Status conseruationem, & ad rerum priuatarum, & publicarum commodum, & vtilitatem spectans, ita etiã optimo iure esse nixum, & proinde pedibus, manibusq; vt dicitur, deffendendum.

In nomine Domini.

ET si stante dispositione dictæ Concordiæ factæ inter vtrumq. forum huius Status anno 1515. non sit in dubium reuocanda substantia, & firmitudo prædicti officij Oeconomatus, sed dumtaxat audiendi sint Ecclesiastici, quatenus vellent docere de aliquo abusu, & excessu præter solitum, siquidem vigore d. cap. 14. quo ita cauetur. *Circa officium Oeconomatus tollantur abusus Oeconomi, prout de eis constiterit.* de quibus quidem prætensis abusibus nonnulla in fine dicemus, tamen ad maiorem iustificationem, & claritatem iuris Regij libet, seriatim circa d. tria capita, initio recensita, circa quæ versatur facultas Oeconomi, paulisper insistere, præcipuè, quia ex dicendis apparebit, frustra ex aduerso nonnullos actus ab Oeconomis fieri solitos proponi tanquam abusus, cùm verè non sint, nisi totum officiũ destruere velimus.

QVod igitur spectat ad primum caput auctoritatis Oeconomi etiam semota dicta Concordia, tamen silere deberet omnis controuersia, quia esto, quòd in puris terminis regula sit, custodiam beneficiorum vacantium spectare ad eum, ad quem spectat collatio, & sic vel Pontificem, vel ad loci Ordinarium, vel ad Capitulum c. cum vos de offic. ord.

&

& not. *Philippus Franc. in c. generali col. fin. in gl: huiusmodi de elect. in 6. Thess. decis.* 131. *num.* 5. etiam quòd agatur de beneficio patronato, *vt not. glosa in d. c. generali Roch. de Curte de iurepatron. super verbo honorificum q.* 26. *num.* 57. Tamen si alia inualuerit longa consuetudo fauore alicuius laici, ea seruari debet, *iuxtà tex. in c. c. generali constitutione de elect. in 6.* vbi excommunicantur, qui *regalia, custodiam, siue guardiam, aduocationis, seu deffensionis titulum in Ecclesijs, Monasterijs, seu quibuslibet alijs pijs locis de nouo vsurpare conantes, bona ipsorum locorum vacantium occupare præsumunt: qui autem ab ipsarum Ecclesiarum cæterarumue locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine iura sibi huiuscemodi vendicant,* prohibentur solùm abstinere ab illorum *abusu,* idest, *quòd ea, quæ non pertinent ad fructus siue redditus prouenientes vacationis tempore, non vsurpent, nec bona cætera, quorum se asserunt, habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conseruent,* & ibi glosa in figuratione casus ponit casum primæ partis in Comite, vel Duce, qui dicebat habere iura regalia in ipsa Ecclesia, & occupauit custodiam Ecclesiæ vacantis, & prætendebat facere suos fructus temporis vacationis, licet nunquam fuisset vsus tali iure, & ponit casum secundæ partis in Rege, vel alio Principe non recognoscente superiorē in temporalibus habente ista regalia in aliquibus Ecclesijs, sicut habet Rex Franciæ in Ecclesia Ebraicensi, & in multis alijs Ecclesijs in Normandia; dicit enim, istum iuste facere fructus suos interim perceptos, nisi præmaturè eos percipiat, vt in sylua cedua nundum matura, quibus in terminis intelligo abusum, de quo loquitur textus.

Et passim ità communiter notat Doctores *glo. ibid. verbo. antiqua. Arch. sub nu.* 3. *super verbo. guardiam ibi, & hoc verbum,* reprehendens aliquos intelligentes eum textum de Ecclesijs tantum patronatis, dicens, textum esse intelligendum simpliciter, sicut sonat *Specul: tit. ne Sede vacante num.* 6 e dicens, aliquos Principes de consuetudine Sede vacante habere guardiam, seu custodiam, & administrationem bonorum Episcopatuum, & agere, & conueniri nomine Episcopatuum, & ità obseruari per quosdam nobiles in Ciuita

te

te Florentiæ; *Carolus Digrassal. de regal. Regis Franciæ iure 20. sub vers. Ad Regem custodia Ecclesiarum maiorum vacātium pertinet iure regaliæ addens Corsetum de pot. & excell. Regis q. 56. idem not. Franc. Marcus q. 44. num. 8. 9. Thess. d. decis. 131. per totam,* dicens sub num. 21. ita seruari etiam quoad Cardinales: Accedit *Ferrett. cons. 142.* dicens num. 7. opposita procedere in administratione generali etiam spiritualium (quamquam in ijs etiam idem dicat Franc. Marcus vbi sup.) *Amad. à Ponte tit. quis sit iud. vt caus. feud. nu. 49.* dicens talem consuetudinem seruari Pedemonti, & esse rationabilem, dummodo non impediatur Diuinus cultus, & simplex adhibeatur custodia absque aliquo abusu, *Thess. d. decis. 131. col. fin. post Abbatem, & alios modernos.* Et tale ius computatur inter regalia. *Archid. d. cap. generali. sub num. 1. & ibid. Io. Andr. col. fin. in princip. Innoc. c. super his num. 7. de elect. Io. de Selua de benef. par. 2. quæst. 23. sub num. 37.* Imò valere talem consuetudinem etiam fauore priuatorum not. *Anchar. in d. c. generali. sub num. 6. vers. guardiam, & Io. Andr. ibid. colum. 2. super verbo. vendicant, & Gemin. col. 2. vers. qui autem,* dum referunt, ita seruari Parmæ, & Florentiæ, per Vicedominos, & Tosingos.

Ratio autem validitatis huiuscemodi consuetudinis est, quia cùm talis custodia respiciat tantùm fructus, qui sunt merè temporales, ideò laicus non potest dici talis iuris incapax, & consequenter potest illud præscribere, *Thess. d. decis. 131. num. 6.* sicut hac ratione dicunt DD. Iudicem laicum cognoscere de mero possessorio inter Ecclesiasticos, quia illud nihil habet spiritualitatis *idem Thess. decis. 82. Bouadill. in sua polit. lib. 2. cap. 18. casu 59. nu. 141.* Præsertim verò stante rationabili, & laudabili scopo talis consuetudinis, idest ab tutanda bona Ecclesiarum ab vsurpationibus, & inuasionibus, quæ aliàs interim tempore vacantiarum sequi possent, & deinde ad obuiandum scandalis aliàs de facili secuturis tempore apprehensionis possessionis faciendę per prouisum de ipso beneficio; *vt post alios not. Thess. num. 7. 8. 9.* & addit num. 12. Principum curam esse, vt Ecclesiarum sint deffensores, & protectores. Et amplius arguit

Thess.

Thess. ibid. nu. 12. à fortiori, quòd si valet consuetudo, ne detur possessio prouisis ad beneficia, nisi accedente Placito Regio, vt infra videbimus, magis dicendum sit, valere hãc consuetudinem circa nudam custodiam, in qua nihil detrahitur Ecclesiæ, imò agitur de eius vtilitate.

t stante Oeconomo, cessat ius aliàs competens Canonicis circa administrationem, tum de iure communi, tum ex forma Sacri Concilij Tridentini; Quia semper de iure præfertur Oeconomus; *c. quoniam dist.* 75. *glo. c. illud* 12. *q.* 2. *Imol. c. cum vos nu.* 8. *vers. Ecclesiæ verò Cathedrales de off. ordin. Abb. c. bonæ nu.* 11. *de appell.* vbi dicit, custodiam hoc ordine dari. Primò Oeconomo, si adest. Secundò Canonicis, si reperiantur idonei. Tertiò Clericis, dummodo pariter sint idonei. Postremò Archiepiscopo.

Idque maximè procedit in Archiepiscopatibus, Episcopatibus, & alijs Cathedralibus Ecclesijs, quia in ijs Principes dicuntur patroni, & habent maius ius & particularẽ prærogatiuam custodiæ ac deffensionis, *vt not. Thess. d. decis.* 131. *sub nu.* 12. *vers. & maximè. ex Marco q.* 66. *nu.* 2. *& solos ad hoc allegari Archid. c. lectis* 73. *dist. post Hug. ibid. Bal. in proem. decret. verbo. Rex pacificus. col.* 3. *sub num.* 12. *vers. Reges. & in c. quanto, in fi. de iud. vbi applicat ad Duces Alamaniæ. Lup. in c. per vestras. in cap.* 2. *inscripto. introductio.*

Imò etiam posset eligi laicus in Oeconomum, si consuetudo talis esset, quia, quòd dicitur Oeconomum in reb. Ecclesiæ non posse esse laicum *c. indicatum. distin.* 89. *c. quoniam c. in noua* 16. *q.* 7. procedit, quandò simul cum temporalibus committitur ei etiam cura spiritualium, secus si temporalium dumtaxat, *vt declarat Specul. tit. de Oecon. num.* 2. *& latius Io. de Seluã de benef. p.* 2. *quæst.* 23. *nu.* 12. *post Abb. in c.* 2. *de iud. & in c. vnico de synod. col.* 1. *& in c. edoceri. de rescr. & post glossam in d. c. indicatum. verbo inter. circa finem,* prout ità seruabatur antiquitus tempore Ducum Mediolani, vt supra narratum est.

Neq; dubitandum est in præsentia, de lapsu debiti temporis ad præscriptionem seu consuetudinem, siue verior sit sen-

tentia

tentia glossæ *in d. c. generali. verbo. de nouo.* quòd sufficiant anni 40. siue quòd requirantur anni 60. *vt dicit Thess. d. decis. 131. sub num. 12. post Marcum q. 552. & seq. lib. 2.* siuè verior sit distinctio, an adsit titulus, nec ne, primo casu sufficere annos 40. altero requiri tempus immemorabile, *vt voluit Archid. in c. c. generali. col. 3. super verbo. consuetudine.* per textum *in c. 1. de præscr.* quam tamen reprehendit Gemin. *ibid. col. fin.* quia ille textus loquatur tantùm de iure iam creato certæ personæ tributo; non autem de creando, vt hic. Etenim vt res sit, adest in casu nostro antiquissima consuetudo supra omnem memoriam.

Et, si ità seruatum est tempore Ducum Mediolani, fortius seruari debet fauore Potentiss. Regis, quia Regibus hac in re maius ius competit, propter eorum excellentiam, quàm alijs; *vt in terminis not. Io. de Selua d. p. 2. quæst. 23. nu. 52.*

QVod attinet ad secundum caput muneris Oeconomorũ circa præstationem Placiti dandi, vel denegandi prouisis à Pontifice, vel ab Ordinario de aliquo beneficio, adeò quòd sine illo possessionem beneficij non nanciscatur, res caret omni prorsus dubitatione, nedum ob talem antiquissimam, & immemorabilem in hoc Statu cõsuetudinem, sed etiam attenta iuris Canonici dispositione, *c. quod sicut, & c. cum terra. extr. de elect. & c. Adrianus vers. insuper 63. dist. c. Agatho. 73. dist. c. cum inter vniuersas. in fin. c. innotuit. cap. fin. d. tit. de elect. cap. Reatinæ cap. nob. c. principali. c. cùm longe d. 73. dist. c. de hoc. vbi gl. de simon,* in quibus iuribus licet improbetur consuetudo, quòd Princeps laicus interueniat electioni Episcopi, tamen dicitur, electionem iam factam esse ipsi Principi præsentandam, vt illi præstet assensum; Vt sic Principis assensus non requiratur in actu electionis tanquam quid intrinsecum, & substantiale, nempe, quia electio, vti quid spirituale, non potest cadere in laicum, *vt not. gl. in d. c. quòd sicut. verbo. impedire. Io. Andr. col. 2. in princ. Bald. & Imol. num. 3. & Butr. sub num. 1.* sed requiratur ex post, vti quid extrinsecum, ad eum nempe finem, & effectum pro publica vtilitate, vt nisi fuerit Principi sæculari cõfidens, electio retractetur, & alius eligatur,

vt

vt not. Innoc. in d. c. super his. nu. 7. de elect. Host. in d. c. quod sicut. super verbo. interposita. Anchar. ibid. sub num. 5. vers. aduerte tamen. & Abb. sub num. 7. Anan. nu. 3. & Butr. sub nu. 16. & 18. sic etiam gl. in c. Abbatem in Monasterio 18. q. 2. Io. de Selua in tract. de benef. p. 2. quæst. 23. sub num. 2. vers. sexto, & nu. 3. 4. 33. 55. 57. 58. 64. & seqq. Carol. Digrassal. de regal. Franciæ in iure 12. in princ. post Compostellan. *in d. c. quod sicut, & Henric. Boic. in cap. quod nob. de iure patr. Lap. in d. c. per vestras, cap. 2. inscripto. Introductio. nu. 25. 26. Rebuffus in Concordatis tit. de Regia ad prælat. nomin. faci. super verbo. prouidere possit. pag. mihi 157. Fran. Marcus decis. 44. num.* 14. 15. vbi loquitur formaliter de litteris nuncupatis de Placet.

Ratio autem est, quia posset suspectus, & non confidens Principi reuelare secreta Regni, seu Status hostibus Principis, *iuxtà tex. in l. omne. §. explorator. ff. de re milit. & l. 4. C. de commerc. & mercat.* vel quid aliud contra publicam quietem, & Principis statum machinari; Et formaliter dicit Abbas *sub d. nu. 7. post Ancharanum*, posse Principem non admittere electum, qui sibi non sit confidens; & Butrius *sub d. num.* 16. attestatur, ità seruari de facto. Et Hostiensis *in d. c. cùm terra. super verbo. Princeps*, dicit, quòd præsentatio electionis sit Principi, vt dicat Placet, vel non Placet; quod obseruandum est pro nobis, qui talem assensum vocamus. *Placet Regium*. Idq. est adeò verum, vt possit Episcopus eijci, postquam est in quasi possessione Episcopatus, si fiat inimicus Principis, siquidem, quia licet Principes non habeãt in Ecclesiasticos cõtentiosã, & iudicialẽ iurisdictionẽ habẽt tamen dictionem Oeconomicam, & Politicam, *vt post alios not. Ceuall. de cogn. per viam viol. post prologum. Bouadilla in politica lib. 2. cap. 18. num. 62. & cap. 19. num. 31. & cap. 17. num. 68. Ceued. q. 45. nu. 23. 24. Men. cons. 1000. num. 98. & passim alij*. Et confirmatur à fortiori ex his, quæ latissimè congeruntur à *Ceuallos vbi sup. post dictũ prolog. gl.* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. vbi pluribus demonstrat, rationabilem esse consuetudinem in Hispania, vt Regia tribunalia cognoscant de causis violentiæ, quia id spectat ad deffensionem subditorum, & ad publicam quietem, & ad Sta-

tus

tus conseruationem, & præcipuè *in d. gl.* 5. dicit, consuetudinem immemorabilem æquiparari priuilegio, & sufficere annos 60.

Quinimò in *d. c. Adrianus.* excommunicantur contrafacientes, in illis verbis. *Insuper Archiepiscopos, & Episcopos per singulas Prouincias ab eo Inuestituram accipere definiuit, vt nisi à Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur, & quocunque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit.*

Et præmissa ratio diffidentiæ maximè potest procedere in exteris, *Butr. sub num.* 16. vt scilicet pro iusta causa Princeps moueatur ad non confidendum de electo, quòd ipse electus sit exterus; *quod pluribus confirmat Io. de Selua d. p.* 2. *q. st.* 23. *nu.* 57. *cum sequentib. post Zenzelinum in extran. Ioannes* 22. *quæ incip. execrabilis. & alios communiter ibi per eum cumulatos.* & dicit Butrius ità seruari Bononiæ, & Florentiæ; quod potest mirificè confirmari ex notatis *per Couarr. pract. qq. cap.* 35. *col. antep. vers. Secundò adnotandum est.* vbi pluribus commendat obseruantiam Regni Castellæ, ne exteri ad beneficia eius Regni admittantur, dicens, eam non tantùm procedere à concessione Romanorum Pontificum, à præscriptione, & ab vsu immemorabili, sed etiam habere iuris fomentum pro bono publico, ex traditis per Gul. de Bened. Cosmam, & Dainum, Siluam, Rebuff. Gomes. Digrassalium, Corsett. Felyn. Roch. & Lambert. per eum allegatos; in tantùm, vt referat teste Soto, in Sacro Concilio Tridentino fuisse consultum, vt ità vniuersaliter sanciretur, quod dicit Couarruuias sanctissimum, & Reipublicæ consultissimum futurum, *& idem latius comprobat Azeuedius tomo* 1. *nouæ recopilat. lib.* 1. *tit.* 2. *super l.* 14. *&* 25.

Posset etiam Princeps moueri ea ratione, quòd electus sit vir criminosus, quia interest Reip. habere bonum rectorem, *Io. de Selua de benef. d. p.* 2. *q.* 23. *nu.* 54 *cum plurib. seqq.*

Affertur etiam ratio, ne alias in apprehensione possessionis sequantur scandala in terminis, *Ang. cons.* 23. *Ferret. cons.* 1. *num.* 15. (adducens exemplum in causis possessorijs &c.) *Thes. d. decis.* 131. *nu.* 7. 8. *Amad. à Ponte post qq. Lauden. tit. quis sit iud. in causis feud. num.* 48.

Ex

Ex quibus tollitur contrarium *conf. Abb. 83.* opera nostrorum Ecclesiasticorum nouissimè impressum Bononiæ in volum. diuersorum pro Ecclesia, qui allegat tantum generalia, quod laici non habeant se intromittere in spiritualibus; & non degustauit prædicta iura, & rationes.

Idq; obtinet nedum respectu Episcorum, sed etiam quorumcunque inferiorum Prælatorum, quia militat eadem ratio diffidentiæ, & suspicionis, quæ æquè potest cadere in prælato inferiori, ac in Præsule, vt in terminis *not. Io. de Selua de benef. par. 2. quæst. 23. num. 58.* Et amplius ità probant tex. *in d. c. cum terra.* qui loquitur de Ecclesijs Collegiatis; & *in c. cum longè 63. dist.* ibi, *electiones quoq; Summorum Pontificum, atq; aliorum infra præsulum, quodā Imperatoribus præsentabantur,* quod licet ab aula recesserit respectu Summi Pontificis, tamen sat est, inde probari validitatem talis consuetudinis quoad alios, quæ apud nos seruatur.

Et quanquam aliquo respectu videatur militare fortior ratio in Ecclesijs Cathedralibus; quia Principes dicantur earum patroni, vt supra retuli ex Archidiacono, & alijs; tamen vice versa alijs respectibus contra est nempè ob maiorem prærogatiuam Ecclesiarum Cathedraliũ, & Parochialium, in quibus propterea laici habent minùs ius habitu, quàm super alijs bonis Ecclesiasticis, *vt patet ex cap. nob. fuit de iure patron. & not. per glo. in d. c. quod sicut. verbo. impedire. per tex. in c. sacrosancta. e. tit. de elect. iunctis not. per Io. Seluam in d. tract. de benef. p. 2. quæst. 23. sub nu. 37. Roch. de Curte de iure patron. verbo. in Ecclesia. q. 2. sub num. 3. vers. & si quis*, præterquam quòd imò videntur Reges patroni vniuersaliter omnium Ecclesiarum, vt generaliter loquitur, *Bobadill. in d. sua politica, lib. 2. cap. 18. sub num. 296.* Et quicquid sit, sat est, d. rationem diffidentiæ, vel confidentiæ æquè militare in omnibus Ecclesijs, & beneficijs.

Quinimò licet non valeat consuetudo, vt laicus intersit electioni Episcopi, vel aliorum Prælatorum, vt iam dictum est, *ex d. c. quod sicut, & c. cum terra.* valet tamen consuetudo, quòd mors Prælati defuncti prius nũcietur Principi, & eius assensus requiratur de eligendo alio, ità vt si electio aliter

fiat,

fiat, sit cassanda, *vt originaliter decidit Innoc. d. c. quod sicut. sub num. 2. quem ibid. sequitur Io. Andr. col. 2. in princ. Host. vers. veruntamen. Anchar. sub num. 5. vers. subdit etiam, & Butr. num. 16. Io. de Selua in d. tract. de benef. p. 2. quæst. 23. num. 5. vers. nonò facit, & infra num. 25. & 31. & 34. Lup. in d. cap. per vestras. in d. introductione. sub nu. 25.* vbi etiam addit absente Rege monendum esse eius L. T. *& sub num. 28. & 29. Thess. d. decis. 131. sub nu. 11., qui ad idem allegant etiam Zenzelinum videndum in d. extrauag. Io. 22. incip. execrabilis vers. diuersorum Regum Regnorum. Corsett. de pot. Regia, quæst. 11. vers. item valet. Abbatem Host. Io. Andr. Gemin. & Fely. in locis per eos ibi allegatis.* Idque valdè facit ad rem, de qua agimus; est enim in effectu Placitum Regium, quod præstatur ante, vice eius, quod apud nos solet, præstari post, *vt sentit. Butr. d. nu. 16.*, & refert Anchar. ex Compustellano, ità seruari in Regnis Legionum, Castellæ, & Scotiæ; idem refert Io. de Selua d. nu. 34. ex glosa Pragm. & Henric. Boich. seruari in multis Ecclesijs Franciæ, & in Ciuitate Salernitana, & dicit Lupus *ad fi. d. num. 29.* Principes ità quotidie practicare; Et mouentur pro validitate talis consuetudinis, tum dicta ratione confidentiæ, quæ pariter hic militat; tùm per tex. in *d. cap. cum inter vniuersas in fin. extr. de elect. iuncta, ibi gl. verbo. Regiæ, & per tex. in d. c. lectis, & in c. cum longè 63. dist.* quæ iura optimè probare videntur; *& per multa alia iura Canonica citata à Lupo sub d nu. 25.*, tùm etiam quia, vt dicit idem Lupus nu. 20. tale ius est ad instar cuiusdam iurispatronatus, quod consuetudine quæri potest. Et quanquam Abbas *in d. c. quod sicut. num. 7.*, dubitet de hac conclusione, tamen fatetur, eam cõmunem & mouetur rationibus tantùm generalibus, & facilis resolutionis.

Quare videntur dicta decreta Io. Galeatij Vicecomitis Primi Mediolani Ducis supra initio recensita non posse argui de violatione libertatis Ecclesiasticæ, licet Bossius in praxi tit. de Principe nu. 218. (cuius verba imprimi curarunt nostri Ecclesiastici in dicto vol. diuersorum Ecclesiasticorum impresso Bononiæ) non consideratis prædictis, sed solùm mo-

tus

tus generalibus rationibus, contrarium senserit.

QVod deniq. attinet ad tertium caput, non videtur dubitandum de validitate talis consuetudinis; nempè quod mandata obtentà in Vrbe non mittantur executioni, in hoc Statu, nisi præuia licentia Oeconomi, cùm ità seruetur etiã in alijs Regnis, & Prouincijs Principum Christianorum, vt in Hispanijs, in Gallia, in Belgio, & alibi, *testibus Couarruuia pract. qq. d. c. 35. col. 7. sub num. 3. vers. sed & ex multis, & sub num. 4. & infra num. 6. & nouiss. Ceuall. in tract. de cognit. per viam viol. post prologum gl. 6. num. 62.* vbi latissimè insistunt, demonstrantes ex communi legistarum, Canonistarum, & Theologorum sententia, talem consuetudinem nedùm valere, & non esse libertatis Ecclesiasticæ detractiuam, sed etiam esse valdè laudabilem, & necessariam pro bono pacis, & publica tranquillitate, & pro cultu iusti tiæ, & Status conseruatione, quippè, quia non adhibeatur talis cognitio per modũ iurisdictionis super Ecclesiasticis, quòd non liceret, sed modo quodam potius extraiudiciali politico, & Oeconomico, vt videatur, num mandatum exequẽdum contineat, quid contra bonum publicum, per importunitatem, obreptionem, vel subreptionem obtentum, & contra Prouinciæ priuilegium, vt præcipuè esset hic Mediolani contra d. Indultum Leoninum; quibus casibus tantisper supersedendum est, donec Summus Pontifex monitus, & de veritate, ac iustitia cercioratus, indemnitati Prouinciæ, & oppressorum prouideat.

REliquum nunc est, vt aliqua de prætensis abusibus disseramus.

Animaduerti autem potissimùm ad tria capita proposita in d. controuersijs secutis anno 1565. & 1595. tanquam abusus, quæ tamen verè non sunt abusus, neq; tolli possunt, nisi cum destructione officij Oeconomatus.

Primum est, quod Oeconomus exerceat munus suũ, et quò ad Ecclesias Cathedrales, idq; esse abusum, quia dicta Bulla Clementis VII. non specificet de Cathedralibus, quæ non veniunt in generali sermone Ecclesiarum, quia sint dignæ speciali nota.

Secun-

ecundùm, quòd pariter exerceat munus suum quoad beneficia prouisa ab Ordinario.

Tertiùm, quòd d. honorarium præstari solitum aurei vnius pro singulo beneficio, sit nimis excessiuum.

Sed enim dicimus, nihil esse in his, quod nomen abusus mæreatur, nec posse quicquam detrahi, nisi cum deturpatione, imò ferè totali interitu huius officij, in maximum Regiæ iurisdictionis, & publicæ vtilitatis detrimentum.

Quod enim spectat ad primum, multipliciter respondetur, vti respondebant dicto anno 1595. PerIll. tunc D. Senator Trottus, & PerIll. nunc D. Senator Cattaneus tunc Aduocatus Oeconomi, scilicet. Primò appellatione Ecclesiarum, in materia fauorabili venire etiã Cathedrales, *vt not. DD. in cap. quamuis il 2. §. quanquam de præb. in 6. Abb. c. cum super. in 2. not. de sepult., Felyn. c. in nostra. num. 40. vers. & intellige. de rescr.* prout fauorabilẽ esse deputationem Oeconomi constat ex proemio d. Breuis Clementis VII. cùm fiat ad tuenda bona Ecclesiarum ab vsurpationibus, & inuasionibus, qui finis nemini non fauorabilis, videbitur. Secundò, quia ea Bulla Clem. VII. non loquitur de Ecclesijs Ciuitatis tantùm, sed totius Status Mediolanensis, quo casu magis sine dubio etiam Cathedrales compræhenduntur, licet aliàs speciali nota dignæ videri possent, *vt præcisè decidit tex. in d. §. quanquam, vers. secus autem. Et ibi not. glo. & DD. omnes, præsertim Gemin. num. 4., Franch. sub nu. 1. & antè eos Io. Andr. antè fin. nu. 1. vers. Prouinciæ,* vbi vult, idem esse, quando de Ecclesijs alicuius Regni, Principatus, vel Ducatus facta sit mentio, Tertiò, quia ibi non fit mentio Ecclesiarum simpliciter, sed cum illa dictione *quarumcunq;* quo casu certius est, Cathedrales quoque comprehendi, *Felyn. in d. c. in nostra. sub nu. 40. vers. Fallit septimò, Rota decis. 233. num. 5. 7. p. p. in nouiss. iunctis not. per Ias. in l. 1. §. nunciatio. de oper. no. nunc.* Quartò, quia nulla ratio suadet hanc restrictionem, cùm vtrobiq. militet eadem ratio, imò fortior in Cathedralibus, quarum cura, & custodia speciali iure spectat ad ipsos Principes, vt supra. Quintò, quia obseruantia ita declarauit, *ex not. latiss. per Ioseph. Lud. comm.*

concl.

concl. tit. de consuet. concl. 1. Sextò denique, quia etiam circumscripta deputatione Pontificia, tamen sufficeret deputatio Regia, secundum prædicta, siquidem stante tali antiquissima consuetudine vt supra.

Quod spectat ad secundum satis patet responsio ex deductis à Patanella dicto anno 1565. vt supra iam relatum est loco suo, scilicet antiquissimam consuetudinem, quæ seruanda est, talem esse indistinctè, quoad omnia beneficia, siue prouisa à Summo Pontifice, siuè ab Ordinario, vt constat ex integris voluminibus actorum ipsius Oeconomi, in quibus registrantur instrumenta Placitorum, quæ per Oeconomũ præstantur, & d. rationẽ confidentiæ, vel diffidentiæ æquè vtrobique militare. Et proindè non esse opus scrutari sensum verborum Bullæ Pontificiæ, quam solet ipse Oeconomus Regius impetrare, quia illa procuratur ad bene esse, & pro interesse Pontificis, quare quoad Ordinarios debet, sufficere d. consuetudo; Præterquam quòd sensus eius Bullæ generalis est ad omnes prouisiones, vt supra relatum est, dùm memini d. responsionis Patanellæ.

Quod deniq; attinet ad tertium Resp. stante tali antiquissima consuetudine, & obseruantia cessare prorsus omnem amaritudinem, ex notatis à fortiori per *Anchar. in d. cap. generali col. 1. circa med. super vers. qui autem. Archid. ibid. sub num.* 1. *& Io. And. col. fin. in princ. Gemin. col.* 4. *post medium super gl. Regi. Io. de Selua de benef. d. p.* 2. *quæst.* 33. *sub nu.* 37. *Cassan. de gloria Mundi p.* 5. *consid.* 24. *vers.* 177., *Franc. Marc. d. q.* 44. *n.* 9. 12. *Lup. in d. c. per vestras d. c.* 2. *incip. introductio n.* 28. *& ante istos Specul. tit. ne sede var. num.* 7. dum dicunt, consuetudine posse acquiri ius lucrandi fructus bonorum Ecclesiasticorum tempore vacantiæ, quo sunt sub custodia Principis, & vocari Regalia, & ità seruari per Reges Franciæ, & Angliæ in multis Ecclesijs. Quanquam etiam citra omnem consuetudinem, tamen adhuc dicta modica mercedula deberetur, quia omnis labor optat præmium, & nemò militat proprijs stipendijs; qua ratione in puncto, quòd Oeconomi, seu custodes bonorum Ecclesiasticorum tempore vacationum debeant ratione laboris habere moderatas

tas

tas expensas, notat *gl. in d. c. generali. verbo. reditus. circa fi. & Archid ibid. in fi.* Minusq; conquerendi causam habent Ecclesiastici, quia antiquitus Oeconomi in hoc Statu decimam pro se retinebant, vt supra narratum est, quare laudanda potius est moderatio modernorum Oeconomorum, qui d. minimo honorario contenti sunt.

Cœterùm si aliquos excessus committet Oeconomus, de quibus doceatur, non deerit celerrima coerctio, ne iustæ querelæ Ecclesiasticis locus remaneat, quod valdè cordi est Suę Maiest. eiusq; Ministris.

Et ità &c. salua tamen censura Sanctæ Matris Ecclesiæ, cui me semper subijcio.

Raudensis.